Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions
The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Super quibus fient interrogationes

Si vidit vel cognovit aliquem hereticum quocumque nomine censeatur et ubi et quomodo et quando et quotiens, et quando primo et quando ultimo, et quem vel quos vidit cum illis. Item predicationem vel collationem vel ordinationem sive lectionem vel monitionem sive exortationem vel confessionem sive communionem hereticorum interfuit. Item errores eorum audivit ab eis vel ab aliis et a quibus. Item credidit vel adhuc credit vel alium applicavit. Item credidit eos esse bonos homines vel adhuc credit et quamdiu credidit. Et si eos appellavit bonos homines vel audivit vel ab aliis sic appellari. Item quibus. Si credit persecutores eorum persequendo eos peccare vel si credidit umquam. Item reprehendit vel arguit coram papa vel coram aliquibus publice vel occulte episcopum et inquisitores qui persequebantur eos, vel si alium commendavit. Item dixit alii si vellet esse tantum sicut ubi erat aliquis qui fuerat pro heresi condempnatus. Item ossa vel cineres combustorum pro heresi habuit. Item scit aliquem qui habuit vel tenuit pro reliquiis vel aliter. Item habuit vel habet libros hereticorum et specialiter si evangelia vel epistolas in romano vel psalmos vel orationes alias in vulgari secundum morem valdensium. Item induxit vel monuit aliquem ad credendum vel amorem hereticorum, vel si fuit ad hoc ab aliquo inductus et a quo et qualiter et ubi et quando. Item dedit eis consilium auxilium vel favorem vel defensionem facto vel verbo. Item visitavit illos vel eis dedit elemosinam vel ducatum. Item recepit eos in domo vel si celavit vel occultavit vel sustinuit vel si scit qui hoc fecit et quotiens. Si captos pro heresi liberavit et ad liberandum eos a carcere episcopi dedit consilium auxilium vel favorem. Item scit sepulturam aliquorum hereticorum in cimiterio vel alibi. Item dedit eis pacem vel recepit ab eis. Item eorum officio interfuit in die cene. Item panem benedictum ab eis comedit. Item aliter comedit vel bibit cum eis. Item dedit vel misit eis aliquid, si legavit vel legari fecit eis aliquid vel scivit qui fecit. Item recepit eorum epistolas vel eis fecit. Item recepit eorum deposita vel aliquid deposuit penes eos. Inquirantur et de loco et de tempore et de personis et aliis circumstanciis studiose. Item a conversis inquiratur in quibus erraverunt